

quidem nostra in Sanctitatem Vestram deuotio, ut Sanctitas ipsa tali officio fungeretur.

Idque exposcebat reipublicæ salus, ne uberior ignis incenderetur, licet ex ipso affectu potius potuerit Gallos ipsos tunc aliquandiu in itinere detentos, ut a sacri Imperii ciuitatibus Lucensi et Senensi pecuniam ac tormenta ad bellum contra nos et regnum nostrum disponendum extorquerent: ut quietum ipsius Senensis civitatis statum tunc pertubarent: Tyrannos intromitterent, ac pro eorum uoto ciuitatis gubernium mutarent: eam ciuitatem a sacri Imperii deuotione omnino diuertere satagentes. Nouas interim copias in terris ac patrimonio Ro. ecclesie ex ipsis pecuniis ab Imperialibus ciuitatibus extortis, congerentes quibus ad regni nostri invasionem inimicitiones ac potentiores esse possent: nec tanta erat in his urbanitas ut ab eiusmodi invasione diutius immorari seu retrahi, possent, ni Deus Opt. Max. uictoria apud Ticinum collata, eorumque rege captiuo tantum terrem incussisset: ut non amplius de inuasione, sed potius de eorum salute et fuga cogitare nisi fuerint. Sed ait. V. S. quod si societatem eorum sequi uoluisset; maxima eidem præmia non solum non proponebantur, sed etiam parata essent. At qui que ratio, que iusta causa, quis honestus color. V. Sanctitatem directum eius feudi dominum monere debuisse, ad iuuandam invasionem contra proprium feudatarium nil tale merentem nec tale facinus cogitantem, absentemque, nec monitum, nec impeditum, nec de aliqua iusta causa subtrahendi feudum conticatum. Tenebatur enim V. Sanctitas iure feudi, tanquam directus illius dominus, potius nos in feudo tueri, quam inuasoribus aditum dare, aut se socium invasionis prestare. Eodem enim ordine quo tenetur uassallus pro feudo domino servire, eodem ordine tenetur dominus uassallum in feudo tueri. Et ex quibus causis vassallus feudum amittit, ex eisdem causis dominus directa proprietate feudi, illiusque directo dominio priuatur. Est enim ipsius feudi natura: ut ultro, citroque oblationem pariat. Facile quidem fuisse improvismus regnum, ac ad defensionem non paratum, nil tale metuens aggredi, et forsan in parte occupare. Sed an id fieri licuisse, an haec pastorali officio convenienter, cogitet S. V. Quæ enim præmia offerri poterant, quæ Christi Vicarium ad tam immane facinus induxissent? Sanctius itaque tunc consultum extitit V. Sanctitati, ut præmiis illis neglectis, non tentaret, quod forsan pro voto non successisset: nec tentatum, coptumque consummari potuisset. Sieque merito (ut inquit S. V.) plus apud eam ualuisse debuerunt amicitiae nostræ merita, quam præmium ullum. Verum etsi meliorem presumptionem amplecti uelimus, nilque de intrinsecis S. V. cordis indicare præsumamus, quod nero Christi Vicario non congrueret: non tamen pro comperto habemus, quid cessante uictoria San. V. actura fuisset, quæ iam sub ancipi Marte statum Mediolani colore sequestri, ac depositi, a nostrorum ducum manu, et protectione eripere, ac in sua potestate (quandiu de pace tractaretur) reponere, et reducere conabatur. Quia etiam, ut ad id nos, et duces nostros cogeret, illorumque uires minueret, ac necessitatem induceret, asserens antecessoris foedus successorem non ligare. Curavit (ut aiunt) non solum Florentinorum aliorumque potentatum præsidia, quæ ex Adriani foedera ad contributionem defensionam debebantur, subtrahi et denegari. Verum et nostris Venetorum præsidia ad quæ particulari foedare tenebantur, substulisse dicitur: iis suadendo, ne suas copias (ut tenebantur) nostris iungerent: ut sic nostri, omni foederatorum auxilio destituti, priusquam in campum

prodirent, hostesque adorirentur, coacti fuerint, non sine summo labore, et nostris, ac Sereniss. Archiducis fratri nostri impensis, novas tum equitum, tum pedatum copias ex Germania educere, et cum his exercitum nostrum augere: quo bellum aggredi speratamque uictoriæ nancisci possent. Subdit eadem Sanctitas quod sequuta nostrorum uictoria contra Gallos, cum omnis sibi sublata contentio uideretur, sineque cupiditatis et partium suspicione, nobis etiam foederis uinculo hærere posset, magnisque in nobis Italæ beneficium, et christianitatis totius positum arbitraretur, non solum foedus firmauit, sed quo nostri duces egentes pecuniae exercitum alere ac sustinere possent, centum illis dederit ducatorum millia: conditione apposita, ut si de foedere aliqua nobis dubitatio oriretur illæ S. V. pecuniae restituerentur. Fatemur quidem Pater Beatissime uictoriæ illam, omnem sibi contentionem merito sustulisse, sineque cupiditatis (a qua semper fuimus alieni) partiumque suspicione (cuius nulla suberat causa) nobis hærere potuisse: omnique ratione arbitrandum fuisse, ea in re totius Italæ ac christianitatis beneficium repositum, ni zizaniae seminarior, illius fructum suffocasset. Diffitemur tamen eam in foedere conditionem appositam, quod si dubitatio oriretur, pecuniae nostris ducibus solutæ. V. S. restituerentur. Quandoquidem ipsius rei gestæ seriem longe aliter se habere constet, nec de tali conditione ulla in ipso foedere mentio facta appareat. Verum in quadam articulo separato, et a capitulis foederis penitus excluso, enarretur. Quod cum V. S. ad satisfaciendum exercitu nostro, in Italia existenti, ciuitatesque et oppida Sanctæ Ro. ecclesie subiecta, ac oppressionibus militum subleuanda, salutemque et tranquillitatem Italæ custodiendam, summam pecunia inter. V. S. nostrorum oratores expressam, suo et excelsæ reipublicæ dominorum Florentinorum nomine se solutaram promisisset: quæ pro tune ad sexaginta millium ducatorum auri erat ascensura. Oratores nostri idem Ve. S. sub iuramento promiserunt, quod casu quo foedus cum ipsis nostris oratoribus percussum, et capitula in ipso foedere contenta, non approbaveremus, nec ratificaremus: omnis summa pecunia, quæ per V. Sancti. ac per dominos Florentinos soluta fuisse, eidem Sanctitati Florentinis integre restitueretur: cum ea adiectione, quod donec restitutio integre et plene facta foret foedus interea, et omnia ipsius foederis capitula, ad unguem obseruarentur. Cum itaque foedus ipsum, ac singula capitula in eo foedere comprehensa, quam primum ad nos delata fuere, rata et grata habuerimus, nostrarque ratificationis literas cum ipsis capitulorum foederis insertione, in forma debita expeditas uestræ Sanctitati exhibere fecerimus: quas et uidit, et legit, et palpit, et dando suas reciprocas retinere potuit, inficiari non potuit, quin purificata fuerit per nos conditio illa, quæ deficiente pecuniarum restitutio erat fienda. Quæ quidem conditio, et particularis conventione, prout illius uerba sonant, nequaquam nos urgebat ad alia extrinsecus accedere, aut separatim gesta, vel tractata. Quintimmo potius, etiam si nullus restitutioni locus esset (cuius tamen contrarium ostenditur) seruandum tamen erat foedus interim, a quo iuxta ipsius separatis articuli seriem sine pollicitorum violatione excedi non potuit: nec ad contraria foedera licite deueniri ualuit. Sieque satis erronee, et (salua pace sit dictum) præter ueritatem refertur, quod idem foedus non plene a nobis acceptum, nec probatum fuerit: qui et plane et integræ (ut præfertur) omnia in foedere contenta probavimus, rataque habuimus: nil penitus de contentis in

eo, nec etiam syllabam, aut literam omittentes. Quod si Vesta Sanctitas huiuscemodum nostræ ratificationis literas recipere, suasque reciprocas (ut par erat) tradere renuit: ni simul traderetur ratificatio duorum aliorum articulorum, de quibus extra ipsum foedus per scripta particularia, nobis tamen inconsultis, separatim et ad partem tractatum fuerat: ad quoram approbationem ex vi foederis (ut præmititur) non astringebamur: nil est quod culpæ nostræ ascribi ualeat, si foedus illud minime observatum, sed potius inde uoluntat extiterit. Ab hac enim culpa et labe omnino alieni sumus. Et ut id plane liqueat: placet illorum duorum articulorum extrinsecus tractatorum substantiam referre: causasque disserere: quibus non ita passim per nos approbandi uiderentur. Ex his enim duobus articulis separatis, alter salis in statu Mediolani distribuendi, cum id a nostris oratoribus sua Sanctitas exposceret: ut iuxta foedus per nos cum Leone perecum curaremus cum Duce Francisco Sforcia sal eisdem modis, et conditionibus a sede et camera Apostolica recipi. Nostri oratores ad id respondissent: non esse amplius nobis Ius utilis dominii Ducatus Mediolani, prout antea fuerat cum Leone, data iam per nos eidem Duci inuestitura, sive rem cum ipso Duce necessario decidendam esse: tandem ipsi oratores nostri, non expresso quod id nostro nomine agerent, simpliciter V. S. medio eorum iuramento promiserunt, quod Illustris Vicerex curaret, ut Illustris Dux Mediolani cum V. San. pro huiusmodi sale conueniret. Si igitur haec promissio, quæ non nisi factum tertii pollicetur: de ipsoque tertio nil ultra promittit, quam tertium illum curaturum, ut Dux ad concordiam ueniret, nil certi decernendo, nos urgere uideatur: ut hanc promissionem precise ratam habere debeamus, ita ut sine ea foederis per nos approbati et ratificati obseruantia euanescat, iudicet id quicunque mentis compos. Quandoquidem nostra sententia, ut peritorum consilio freti, didicimus: nos nequaquam ad ipsius præmissionis obseruantiam astricti censeremur. Respondimus tamen in hoc modestius V. S. quod si huiusmodi S. V. desiderium nobis prius innotuisset, quam de ipsa salis distributione in statu Mediolani ad opus serenissimi Archiducis, fratri nostri, cum ipso Illustri Francisco Sforcia transactum esset, nostram libenter operam nauare studuissemus, ut San. V. huiuscemodum noti compos fieret. Verum et si fratri de esse non possumus, nos tamen cum eo curatuimus, ut mediante aliqua honesta recompensa pecunia, ipse frater noster, ius huiusmodi distribuendi salis: V. S. ad illius uitam concederet. Id enim æquum et iustum uidebatur, ne ius illud, quod eidem fratri nostro, pro recompensa præsidii per eum præstiti ad defensionem status Mediolani, deficientibus viribus ac copiis V. S. aliorumque foederatorum, eidem infructuosum redderetur. Alter nero ex his duobus articulis id continebat, quod ad tollendam difficultatem, quæ inter S. V. et nos incidere posset super controndersia Mutinae et Rhegii, offerebant nostri oratores, ut. V. S. consequeretur uile ipsarum ciuitatum dominium, superioritatem, et directi dominii, iure nobis semper saluo, ita ut S. V. extunc recognoscet, et acceptaret huiusmodi directum nostrum dominium ac superioritatem: Vesta Sanctitas nobis, aut agentibus nostris centena millia ducatorum aureorum (post recuperatam possessionem eorum, quæ Illustris Dux Ferrariae a tempore obitus Leonis. x. ecclesiæ subtraxerat) personare deberet. Huic propositioni et oblationi respondebat Vesta Sanctitas pro se et sede apostolica huiusmodi oblata acceptare, prout proponebantur: excepta

tum fuerit. Quo colore nostræ ratificationis literæ receptæ non fuerint. Quo iure ipsius Vestrae Sanctitatis reciproce literæ nobis fuerint denegatæ. Qua fronte fidei religio, quam V. S. in verbo Ro. Pontificis super ipsius foederis obseruantia personaliter præstissime dignoscit, spreta fuerit ac neglecta. Cogitat V. S. ac de seipsa iudicet, an sic deceret ab eo foedere discedere, penitusque repugnantia pacisci, cum his potissimum, qui eo tempore pro hostibus habebantur contra quos potius ponenda erat defensio ad eorum conatus repellendos. Quod autem S. V. ad id subiungit, cum propria emulacionem quorundam ex ducibus et ingratia ceteris consilia, Pischariae Marchio nonnulla iactare, tractareque ceperisset in nostri status detrimentum. V. S. illa etiam consilia audiuisse, ne foedere a nobis reiecto, penitus aspernata, eidem Sanctitati deseeset: ubi niti ac considerare posset. Non possumus profecto non mirari, quæ in hoc V. S. suis literis proficitur: quæ et si nobis st̄pius a nostris ducibus, aliusque quamplurimi scripta, relataque fuissent, nusquam tamen a nobis credita sunt, nec adhuc crederemus, ni Ve. Sanctitas id asseueraret, cuius confessione et assertione in his potissimum, quæ proprium factum concernunt, nulla plenior, liquidiorque probatio esse potest. Qualia autem fuerint ea quæ Marchio Pischariae in nostri status detrimentum iactare, aut tractare dicebatur, et quæ V. S. audiuisse fatetur. Cum in V. Sanctitatis literis non specifice declarantur, sed sub uerborum inuolucro res tam nefanda tegi videantur, comprobanda res erit per ipsius Marchionis literas, quæ penes nos seruantur, ac per aliorum quorundam adhuc uiuentium testimonia: qui huiusce facinoris consilii, participesque fuere. Quibus satis aperte determinatur ipsum Pischariae Marchionem non ita proprii honoris ac conscientiae immemorem fuisse, quod quicquam in status nostri detrimentum moliri cuperet, sed potius aliter finxit quam in animo haberet: ut aliorum in nos, ac statum nostrum molientium factiones, ac incendia parata, quorum iam fumum senserat, uerioribus indiciis, ac argumentis detegeret: hincque facilius nobis præmonitis extingui possent: sieque finxit se de nobis male contentum, ut inde liberius in molientium partes uocaretur; omnemque rei seriem audire, ac funditus intelligere posset. Hincque Marchio ipse ad eam Tragediam uocatus simulata fide, in eam conspirationem, cum ceteris illius auctoribus connent, atque consensit: perlustratisque omnibus ad tantum facinus patrandum dispositis, atque paratis, ac totius negotiū serie plane perspecta et intellecta, cum in his V. S. principalis esset auctoritas, andissetque Marchio nuncium ad id per V. S. transmissum, eidem sui parte (ut ait) offerente sub cuiusdam Apostolici Breui credentia, regni nostri Neapolitanu inuestituram, et possessionem, si is in eiusdem Sanctitatis et foederatorum partes cum copiis nostri exercitus, eidem Marchioni magis affectis transiret, atque transfugeret: ut inde communibus foederatorum copiis, inter quas et Gallorum copie cum ingenti Heluetiorum manu, ad sui regis liberationem anhelantes, et Venetorum præsidia concurrere debeat, ut etiam populus ad liberationem Italie concitatis, uno ictu, atque contextu nostrum exercitum prorsus delerent. Nosque non solum a estatu Mediolani, sed etiam a regno Neapolitano, ac ab omni Imperio Italico excluderent: ut inde Sanctitas Vestra nos etiam ab omni Imperiali dignitate deponeret. Finxit Marchio se contentum his annuere, si id cum honore, sineque incursum criminis lessæ Maiestatis exequi liceret: et ut super

ea re peritores consuleret: petit quindecim dicrum dilationem: quibus pendentibus, illi erat in animo nobis rei seriem conscribere, prout et fecit: nec ideo minus se a practici abstinuit, qui etiam ad hanc factionem magis colorandam habuit ex urbe consilium peritorum, quo eidem Marchioni persuadebatur, eundem licite posse, ac sine honoris, seu fidelitatis præstatio lectione, seu præiudicio, simque crimen læsa Maiestatis, in partes V. S. tanquam supremi domini illius regni transire, feendumque ab eadem Sanctitate suscipere, ubi potissimum ipsius Sanctitatis iussus accederet. Si hæc igitur PATER SANCTE uera sint, prout narrat Marchio, qui usque ad ultimum uite spiritum in ea sententia semper persistit: si sint illa tractata, atque iactata consilia, quæ V. Sanctitas etiam audiuisse factetur, uideat ipsa Sanctitas recto sui intellectus oculo, si hec tanto Pastore digna censeantur: inspiciatque qualis fructus inde colligi posset: quale scandalum: quantusque tumultus ex his in ecclesia Dei, ac in minuera repub. Christiana nasceretur. Miseranda quippe res esset, ac ab omni fidei catholico deploranda: in qua ita occupatur mentis nostræ iudicium: ut quasi somnum illusorium putemus: cui fides tribui non debet: cum potissimum (ut antea liquido ostendimus) cesseret fundamentum illud satis manifeste erroneum, immo penitus falsum, de foedere a nobis reiecto: quod nunquam reiectum, sed plane acceptatum constant. Sed ait V. S. se a uerbis ad facta nullum aditum tentasse. Utinam sic se res habebet, nihilque de facto tentatum esset, quia facilis pro uerbis uerba reddi possent, facta autem pro infectis haberi nequeunt. At quod V. S. se de eo officio commendat, nos admoneri mandasse, ut Duces nostros in Italia, quorum in manus res nostre erant, curaremus de nobis esse contentos, hinc probationem elicens, eidem esse cura quietem, et stabilitatem rerum nostrarum: noluius imficari id officium a V. S. præstitum, eo tam tempore, quo idem Marchio totius rei seriem nobis aperte disseruerat. Cur autem tunc V. S. re iam detecta, id nobis nunciandum censurit, id ejus iudicio et conscientiae commendamus. Volumus tamen et hoc in benigniore partem suscipere. At subiungit V. S. quod maximo cum gemitu et dolore suo, atque Italie totius, cum duces nostri statum Mediolani occupassent, atque arcem in qua Fran. Maria residebat, circumuallare instituissent: postulante a nobis curam et securitatem aduersus indigitatem tantam Italie pericolo, omnibusque notis, atque ignotis flagitantibus paratis, qui arma et auxilia conferrent: cunctis prope christianitatis regibus Vestram Sanctitatem animantibus: cum non uideretur posse resistere monitis, querellis, precibusque illorum cum uos officii uestri debitum, Italie calamitas et periculum commune commoueret: tamen adueniente per eos dies ad Vestram Sanctitatem commendatore Herrera nuncio nostro tractanti causa misso, relapsa eadem S. in pristinam spem et cupiditatem benevolentiae nostræ sibi quoquimodo conciliande dimissis consilis, conspirationibus, oblationibusque cunctorum, graui omnium indignatione et querela, qui se a Vestra S. desertos conquerebantur, ad nos denuo confugiendum putauit: querendo nobis comparare gloriam pacanda christianitatis, et moderationis nostræ omnibus declarandæ. Sieque ea conuentionum capitula, paucis (ut ait) in locis leuiter immutata remisisse ad nos comprobanda, scripsisseque manu sua literas, quibus per Dei misericordiam obsecrando, ut depellere nollemus eam suspicionem, quæ de nostra nimia cupiditate omnibus adhærebatur, perpetuitatemque, et fructum

APÉNDICE DE DOCUMENTOS.

amicitiæ suæ nobis pollicebatur, consiliumque fidele dabat: et quæ petenda erant, omni cum humanitate et benevolentia a nobis petebat: securitatem uidelicet Italie, Duci Mediolani (si quo pacto errasset) clementiam, V. Sanct. amorem. Quæ tot illius opera, atque officia erga nos, aliaque quamplurima, quæ nobis quotidie postulanti concedebat: ex quibus nobis commodum, atque honor acceſebat (ut ait) paruipendimus. His multiplicitum querelarum, accusationum, et criminationum fasciculum adiungit: quibus tot et tantis (ut inquit) iniuriis, et causis inuita. V. S. et gemens, de nobis desperare, et diffidere est coacta: suamque amicitiam et benevolentiam, quam toties (ut asserit) repudiavimus, multis et magnis regibus adiungere, quorum optimum in christianam rem et sedem Apostolicam animum, si Ve. Sanctitas aspernata esset, non iam Pastoris, et communis patris laudem, sed superbi et insolentis nomen acquisiuitisset. Hæc Pater Sancte, horrenda quidem, ac penitus abominanda censerentur, nisi scuto ueritatis circundati huiusmodi calumnias, connivia, improperia, crimina, facinoraque nobis obiecta refellere, ac singulatum suo ordine extirpare et enervare studeremus: non quidem hæc christiano principe digna (si uera forent) sed potius apud Inferos recondunda censerentur. Ut igitur huiusmodi calumniarum, nobis falso obiectarum, fasciculum disrumpamus, et colligata specula in nos coniecta, separatim, ac gradatim eneruemus: cogimur historiam, non fabulam recentere, qua rerum gestarum ueritas in lucem prodeat. Et cum ab occupatione status Mediolani, arcisque obsessione huiusmodi calumniarum principalior sumatur occasio: hincpende uideantur leges et prophetæ horum omnium, quæ in nos moluntur et tentantur: consequens est, ut pro nostræ uellicationis debita ratione reddenda, et nequid occulti remaneat, neue serui nequam nobis nomen et famam comparemus: sed potius serui fidelis, et boni, qui in regnum Domini intrare ualeamus: ab ipso stipite initium sumamus, et a capite rationem redamus oportet: nihil, quod ad rem faciat, omittentes. Res igitur, ut apertissimis ostendetur documentis, sic se habet: Postquam Franciscus Sforcia huius nominis primus, et moderni Francisci aunc paternus, Ducatum ac statum Mediolani nactus est, seu uerius occupauit: cum is non intraret per ostium, sed per fenestram: nec descendenter a linea Vicecomitum Ducum Mediolani: sed ex persona uxoris ad tale feendum incapacis, ius dicti Ducatus pretendenter: et tanquam strenuus, prudens, ac fortunatus belli Dux, non habuerit in ipsis Ducatus assecuratio contradictem: nunquam tamen is, neque filius eius primogenitus Galeacius Maria Sforcia, nec ex ipso primogenito nepos Io. Galeacius Sforcia, ipsius Ducatus Mediolani inuestituram a sacro Imperio obtinere potuerunt. Successit his Ludouicus Sforcia moderni Francisci pater, qui affinitate cum Diuo Maximiliano Cæsare aucto nostro contracta primus ex Sforcianis inuestituram obtinuit pro se, et filiis, ac descendenter suis ordine successivo, gradu primogenitura seruato. Quo Ludouico primo inuestito adhuc uiuente: insurrexit aduersus eum Ludouicus Aurelianensis Dux, inde Francorum Rex, huius nominis. xii. prætendens, quod si ex foeminea linea quispiam in eo Ducatu recte succederet, ipse prefrendus foret: qui ex descendentiâ Valentinae Philippi Mariae Vicecomitis ueri Ducis filiæ legitimæ ortum trahebat: pacto etiam in contractu matrimonii adiecto, ut deficientibus masculis, ipsa Valentina succederet: quod uacante Imperio a sede Apostolica approbatum dicitur (de cuius tamen appro-

eius socero concessæ, tum etiam ex iure cesso per dictum Maximilianum Sforciam, ipsius Ducatus possessionem post Ludouici regis mortem nactus esset: nulla per eum, seu alium eius nomine noua inuestitura ab ipso Maximiliano Cæsare, nec a nobis petita, seu obtenta: sic nos et sacrum Imperium contempnendo, pluraque etiam contra decus et honorem nostrum, et ipsius sacri Romani Imperii moliendo, et in nos eiusdem feudi dominum ceruicem elevando, armaque mouendo, prout suis propriis literis, ac notoris gestis innouit, etiam si validam antea inuestituram habuisse (prout non habuit) omni illius commodo, omnique iure, ipso facto priuatus extitit: idque totum ad nos et sacrum Romahum Imperium devolutum fuit: ut sic Illustris Franciscus Sforcia in eodem Ducatu Mediolani nullum ius posset prætendere: nisi id ex nostra liberalitate, et gratia consequeretur. Non enim ex inuestitura persona ius aliquod habere potest, stante reuocatione (ut præmittitur) facta per ipsummet concedentem: eo scilicet tempore, quo nondum eidem Francisco Duci ius in recessum dici poterat: sed duxat in spe, quod facilius tollitur, ubi potissime plenitudo accedit potestatis cum certa ipsius concedentis, ac reuocantis scientia. Non etiam ex cessione, seu renunciatione dicti Maximiliani eius fratri primogeniti, qui nullum de eo statu habuit inuestituram, sed simplicem detentio nem nullo iure suffultam: cui pariter obstat paterna inuestitura reuocatio, sive illius concessio nullius fuit effectus. Nemo enim plus iuris in aliud transferre potest, quam ipse habeat. Sed demus inuestituram eidem Ludouico patri concessam, in suo robore permanere, ipsumque Ducem Francicum iuxta illius ordinem ad successionem uocandum, non uocatur ex ea nisi post mortem primogeniti, qui adhuc uiuit: sive non euenerit casus, qui ipsum Francicum admittat. Non enim primogenitus simpliciter refutauit feudum ante feudi adepti, ut fieret locus sequenti in gradu, sed adepto feudo, ubi de fructibus pro libito eius uita comite disponere poterat etiam in iusto propinquio successore, cessit, et renunciavit. Et cum id egerit paciendo cum hostibus, et delinquendo in dominum feudi, totum illud ius, quod eidem Maximiliano primogenito competisset, ad sacrum Imperium devolutum extitit: sive nos nullo iure cogebamur, etiam firma stante illa prima inuestitura, huiusmodi Ducatum Mediolani concedere ipsi Illustri Franciso Sforcia, saltem uita comite ipsius Maximiliani primogeniti: qui immo iure merito poteramus Ducatum ipsum penes nos retinere, eoque interim uti, frui. Obiicitur nobis feodus percussum cum Diuo Leone: super quo tamen nullum ualiendum fundamentum in fauorem dicti Francisci Sforcia ædificari potest. Res est inter alias acta: nihil ibidem cum duce Francisco tractatum est, nec quispiam pro eo ibidem interuenit: nullusque pro eo stipulatus extitit, cui ius stipulandi esset. Et si inter contrahentes res ageretur, emerget quæstio, an qui ex eo feedere se fundaret, pro parte sua impleuisse, quod debebat. Sed fateamur omnia solemniter gesta et impleta: ipsumque foedus percussum et stipulatum cum ipsomet Duce Francisco, non datur illi ex eo feedere plus iuris, quam antea haberet. Sic enim sonant illius federis uerba: Item, quia Illustris Franciscus Sforcia Dux Barri prætendit Ducatum Mediolani sibi deberi ex ui inuestiture per fœlicis memorie Maximilianum Cæsarem factæ, atenta renunciatione fratris sui primogeniti, per quam se primum successionis locum assit obtinere, actum extitit et conuentum, quod si idem Illustris Franc. Sforcia Ducatum ipsum recuperaverit, præfati contrahentes eundem in suis iuribus conservare curabunt, ac ab omni uolentia tueri nitentur. Ecce igitur, quod hic nullum aliud ius prætendebat Dux Franciscus, quam quod prædictum est, abunde tamen eneratum. Ecce quod hic est conuentio conditonalis, si ipse Dux Ducatum recuperauerit: quæ conditio implenda erat in forma specifica: eaque non impleta, prout ipse implere non poterat, obligatio illa euaneat. Et esto, quod foret ipsa conditio firmiter impleta, et purificata: ecce obligatio illa non disponit nisi de eo conseruando in suis iuribus: quæ (ut antea ostensum est) nulla sunt, nulliusque momenti. Si igitur nos tot titulis, totque iuribus fulti, qui Ducatum ipsum federatorum nostrorum presidiis freti, nostra tamen (ut plurimum) impensa, non sine magna nostrorum iactura, tot præclaris dueibus, ac militibus amissis, cum tanta Christiani sanguinis effusione, ex hostium manibus recuperauimus, ab eorumque fauibus eripuimus, et toties illis redeuntibus repulsi, ac uictis seruauimus, ac tutati sumus, nulla nos ad id urgente necessitate, sed pro sola reupublica quiete, ex nostra uera liberalitate ac munificentia, iuribus nostris tam claris, tamque apertis, omnino postpositis ac postergatis, consensimus eundem Illustrum Francicum Sforciam tanto munere dignum facere, eundemque ad dictum Ducatum admittere, ac eidem ipsius Ducatus inuestituram concedere: quis nam uis sani capit is nos de cupiditate, de ambitione, de indebita occupatione recte arguere poterit? Quis nam ex his gestis potest elicere sinistram aliquam suspicionem, quod non recto animo intenti uidetur ad ea omnia, quæ reupublica Christiana quietem et tranquillitatem, Italiæque libertatem conferre uidentur? At hæc non uero tantum obtulimus, sed et effectu præstimus. Fecimus enim ipsum ducem Francicum totius status possessorem: fecimus in eius potestatem reponi et consignari omnes arces, omnesque ciuitates, auctoritatem et administrationem omniuimodum eidem permisimus: ut non solum rege, et pro libito administrare posset, fructus percipiendi: sed etiam alienando, uendendo, ac pro eius uoto disponendo. Cuius etiam alienationes, dum ad id requisiti fuimus, tanquam a uero duce factas, confirmauimus et approbavimus. Fecimus in federibus per nos initis tum cum Adriano, tum cum Venetis, tum etiam cum ceteris, cum quibus tractauimus, eundem tanquam Mediolani ducem nominari, et includi, de eiusque tutela et conseruatione transegimus: concessimusque tandem inuestituram dicti Ducatus, et pertinentiarum in forma amplissima. Quam ad manus equitis Billias ipsius ducis Francisci oratoris realiter consignauimus, sub certis conuentibus, et obligacionibus per ipsum Ducem impletis pro parte impenitentiarum per nos in ejus beneficium factarum pro ademptione et conseruatione dicti status. In quibus tamen nos ita moderate habuimus, ut nec uix quartam ipsarum impensarum partem per annorum terminos essemus recuperari. Hæc profecto scripto patent, nullaque tergiuersatione cælari possunt: cum iam in notoriæ transiuerint. Insuper, cum de Ipsius Illustris Francisci morte dubitaretur, physicique de illius salute desperarent, hincque noua oriretur in nos suspicio V. S. Venetorum, ac aliorum Italiæ potentatuum, si statum ipsum Mediolani, per mortem dicti Duci Francisci ad sacrum Imperium recta uia, rectoque ordine Iustitiae devoluendum: aut in nostra potestate retineremus, aut Serenissimo fratri nostro charissimo Ferdinando Arciduci Austriae concederemus. Cum et nostram, et ipsius fratris nostri potentiam exoxam, et formidabi-

lem habere uiderentur: potius Deo (qui nobis hæc sua clementia, et benignitate confulit) ipsique fortunæ inuidentes, quam aliqua alia justa causa perciti, placuit Vestrae Sanctitatæ nos per dictum eius legatum monere et hortari, quatenus pro Italæ quiete, ac ad submovendum cuiusvis suspicionis scrupulum, in causam mortis dicti Illustris Francisci Sforciae, Ducatum ipsum Mediolani nequaquam in nostra potestate retineremus: nec pariter ipsi Serenis, fratri nostro concederemus: sed ipsum Ducatum tali personæ tradere mus, de qua Italæ potentatus nullum metum, nulliusque suspicionis obiectum habere possent. Ad eumque effectum V. S. per dictum legatum, alterum duorum nobis ad id proponi fecit, ut ducem Borbonii, aut Dominum Georgium de Austria, Cæsaris Maximiliani naturalem filium. Annuiimus tunc, licet ad id nullo iure astringeremur, quod Ducatus ipse in causam denotionis minime penes nos retineretur, nec etiam ipsi Serenissimo fratri nostro concederet: obtulimusque in eum causam, dictum Ducatum conferre in personam iure merito gratam, et acceptam Vestrae Sanctitatæ: et de qua nihil suspicari posset, quod ad turbandam Italæ quietem tendere videretur: licet etiam id a V. S. acceptatum non fuerit, nec etiam aliis potentatibus gratum extiterit: nisi personam, cui in eum causam Ducatum conferre uellemus, prius nominaremus: ut discerni posset an grata, et accepta foret: non fuimus ab hac instantia alieni. Nominauimus in eum causam ipsum Illustrum Borbonii ducem, quem Vestra Sanctitas primo proposuerat: in eum quidem inuestituram conferre parati, non pro commode, aut augmento nostro, sed pro tollenda ea suspicionis rubigine, qua V. S. ac potentatuum animi augebantur: pro submouenda ea umbra nostra magnitudinis, qua intrinsecus premebantur: proque ipsius Italæ quiete: quæ nobis semper cordi fuit, ut potius Christianæ Reipub. causam, quam nostram priuatam tueremur. Quid igitur cupiditatis nobis ex his ascribi possit: si Ducatum Mediolani et statum tanti momenti, tantique ualoris (ut præmititur) per nos recuperatum et quem licite retinere poteramus, tot titulis, totque iuribus suffulti, semel Illustri Franci. Sforciae concessum, iterum si per illius mortem ad nos deuolueretur, ad V. S. nutum alteri concedere annuerimus: ei uidelicet, quem V. S. prius nominauerat: atque tamen iustis iuribus, tamque ampio et importanti dominio suffulti (pro quo si Iulius Cæsar reuiniscens nostram personam indueret, aut hi qui nobis cupiditatem impingunt, forsitan ius in suurandum uiolandum censeret) nos ipsi non coacti, nulloque iuramenti, seu cuiusvis obligationis uinculo astrieti, nostra sponte, pro ipsa repu. ius nostrum tam liquidum abrogare, et a nobis auferre consenserimus: excluso etiam proprio fratre, qui iure merito post nos ceteris omnibus anteponendus uidetur: cum hunc loco filii haberemus in succenti gradu proximiorem, cui nulla ratione, nulloque iure diuino, naturali, uel ciuili, extraneus quispiam anteferendus erat? Fateamur necesse est, non hic cupiditatem, non ambitionem, non auaritiam, non dominandi, seu aliena occupandi appetitum inesse: sed potius amplissimam, ubermque largitatem, munificentiam, ac (si dicere fas est) prodigalitatem, dominandi contemptum argueare. Quod tamen publi, rei cause leto, hilarique animo ultro ac sponte præstabamus. Sed nunc submouenda restat causa illa gemitus, et doloris S. V. ac totius Italæ, qua V. S. tantum affligitur, occupationis scilicet ipsius status Mediolani, inde per nostros duces factæ, cum obsessione arcis, in qua Dux erat. In qua re, licet